










XVI, 31-42





2.
4342

DIVI IOAN-
NIS CHRYSOSTOMI
ARCHIEPISCOPI CON-
STANTINOPOLITANI DE
NON CONTEMNENDA
ECCLESIA DEI ET MY-
STERIIS ORATIO, E GRÆ-
CO IN LATINVM VERSA.
MARTINO CROMERO AV-
THORE.



XVI, 35

REVEREN

DISSIMO IN CHRISTO

Patri & domino, Domino PETRO
GAMRATO, Dei gratia Archiepiscopo
Gnesnensi, Episcopo Cracouien.

Legato nato, & primati regni Po
lon, patrono suo beneficentissi
mo Martinus Cromerus

S.P.D.

EN altera Chrysostomi oratione in latinum ser
monem a nobis conuersam per te Petre atq[ue]
amplissime graece linguae ignaris pietatis sectato
ribus damus, argumento ad peruersa haec nostra
tempora valde accommodato. Quis enim sane
mentis non videt? aut quis pius non dolet maiorem
in modum fanorum religionem, augustumq[ue] & om
ni studio dignum sacrorum cultum nostra tempestate
passim vel negligi, vel improbius etiam profa
nis colloquijs & negocijs, ne dicam impudicis &
sceleratis, contaminari; & domum dei, domum pre
cationis, speluncam latronum fieri? Quis non inge



miscit, religionem Christianā sacrosanctā non
modo corruptis moribus, verumetiā prauis opi
nionibus eorū, qui soli vere Christiani haberi
volūt, hoc est, audaciū & factiosorū hominū ve
hementius, q̄ externorum hostiū armis cōcuti
& labefactari: Quorū alij, vt sanctimonīā om
nein & constātiā profitendī Christum euertāt,
sanctorū hominū, qui pie & caste in religione
Christiana vitā exegerūt, nec vlla propter Chris
tū tormēta reformidarūt, cultū & memorias, iā
inde ab initio publice per orbem terrarum cele
brari solitas, tollūt: Alij venerandā corporis &
sanguinis Christi cōmunionē vel impie negāt,
vel promiscuo & minime religioso vsu profa
nāt: Sūt qui sacerdotū imbecillitate & impurita
te sacramentorū vim & efficientiā exinaniri,
& ministerij dignitatē eleuari impudēter asse
uerāt. Hos omēs errores hec oratio nō tam rati
ocinationū subtilitate, q̄ sentētiarū pondere, &
vetustissimi huius eiusdēq̄ doctissimi & sanctis
simi Ep̄i autoritate iugulat & extirpat. Que
cuiusnam rectius, q̄ tuis, antistes optime, auspi
cijs in lucē prodire potuit: qui Archiepiscopus
pariter atq̄ episcopus Cracoui, idoneos homīes
exquiris, quibus honores mades, qui recte vices
tuas obeāt, vel in partē oneris accedāt, in scelera

A ij

& flagicia hōinū cū omniū, tū eorū īprimis, qui
in sacrum ordinem adscripti sunt, diligenter in-
quiris, ne licentia malo exemplo & impunitate
crescat: denicq̃, quod palmarium est, cupidorum
& improborum furori & audacię, nīmium
proh dolor, in ministros Christi & libertatem
ecclesiasticam, nonnulla fortassis culpa
nostra, efferuescēti, acriter te obijci s,
quantumuis potentium inimicis
citas cū Chrysostomo no-
stro parui pēdens,
Deus te diu sof-
pitē & fœli-
cē tueas-
tur,
Antistes amplissime.

DI VI IOAN.
NIS CHRYSOSTOMI
ARCHIEPISCOPI CON/
STANTINOPOLITANIDE
NON CONTEMNENDA
ECCLESIA DEI ET MY/
STERII ORATIO, E GRÆ
CO IN LATINVMVERSA
MARTINO CROME/
RO AVTHO/
R E.



Erpauci hic hodie nobis ad
sunt. Quidnā hoc causę est?
martyrū memoriā peragi/
mus, & nemo ad nos accur/
rit? At prolixius vię spacium seigniores
eos fecit. Imo vero non spaciū, sed signi
A in

cia eos impediuit. Quemadmodū enim
nauum arrectoq; animo præditū phibe-
re nihil potest. * Martyres sanguinē su-
um veritatis gratia profuderūt, tu ne bre-
uis quidē vig spacium, quo nihilo ducere
potes? Illi caput posuerūt propter Chri-
stum, tu ne parū quidem spacium vis ac-
currere propter dominū? Dominus tua
causa mortuus est, & tu ipsius causa cū-
ctaris? Memoria Martyrū fit, & tu seg-
nis & supinus iaces? Congruū est, vt ad-
sis, & videas diabolū vinci, martyrē vin-
cere, deū celebrari, Ecclesiam coronari.
At enim peccator sum inquis, neq; pos-
sum accurrere. Quādoquidē peccator es,
accurre, vt iustus fias. Quinā vero ho-
mo sine peccato est, dic mihi? An nescis
quod & illi ipsi, qui altari assident, pecca-
tis affixi sunt? Carne enim circumfusi &
corpori implicati sunt. Quin & nos ipsi,
qui in solio sedemus, ac docemus, pecca-

et sanguis
peccatorum

tis implicati sumus. Sed nō desperamus
de diuina benignitate, neque immanitatē
ipsi affingimus. Propterea nanque ipsos
etiam sacerdotes affectionibus seruire fe-
cit deus, vt ijs, quę ipsi patiūtur cōmone-
facti, alijs etiam ignoscant. Quantus igi-
tur hic fuerit stupor & inconsiderantia,
quod, si citharedus, vel saltator, vel alius
quispiā eiusmodi hominum nos vocet,
studiose omnes currimus, & gratiā ipsi,
quod nos vocarit, habemus, totūq; diem
aut certe dimidiū cōsumimus, illi soli ani-
mum aduertentes, deo vero per prophe-
tas & apostolos nobiscū loquente, osci-
tamus, torpemus, & estuamus. Et in cur-
riculis quidē culmine, quod à cœli iniu-
ria muniat, non imposito, cōplures im-
bribus copiosis decidentibus, & vento
aquā in ora sufflante, stant insani, & fri-
gore pluuięq; vię prolixitatem paruipē-
dūt, neque quicquā eos vel domi cōtinet.

vel illuc ire vetat, Ad ecclesiā vero quo-
minus eamus, pluuiā nobis atque lutum
impedimento fit? Ac si quidem rogetur
quis, quisnā sit Amos, aut Abdias, siue q
sit numerus prophetarū, vel apostolorū,
ne hiscere quidē potest: Pro equis vero,
& aurigis, & sophistis, & oratoribus de/
fensiōes artificiose cōponit: & quonam
pacto hęc tolerabilia sunt, dic mihi? Ad/
monui sepe numero, non esse ascendēdū
in theatrū, non auscultasti orationi meę:
ne pudeat te rursus ingredi, & audire.
Audiui, neq; tamē seruauī, inquis: Quo/
modo possum ingredi, & audire? nūc de
mū intelligis, te non seruasse? nunc te pu
det? nūc erubescis? nunc nemine arguēte
frenum adhibes? nunc tandē orationem
meam certam & stabilitā habes? nūc me
nō comparente, doctrina mea te enecat?
Non seruasti? magis ingredi, vt, cum
rursus audieris, serues. Medicamētum si

tibi adhibeatur, nec te purget, nōne altera die rursus id ipsum adhibes? Sit quispiam incisor arborum, ò homo, velitque quercū incidere, accipit asciam, deinde radicem incidit, Quod si vno ictu arbor non concidit, nōne & alterū ictū addit? nō quartū? nō quintū? nō sextum? nō decimum? Idem tu quoque facito. Hec dico, non vt segniores reddā, sed vt nauiores efficiā. Ingressus es in Ecclesiam, ò homo, dignatus es Christi cōsortio, ne exeras, nisi dimittare. Nam si ante missionē exieris, perinde ac fugitiuus reposcēris, ^{no dpa} ^{com ab} ^{ex} Totum diem in ijs rebus, quę ad corpus spectant, insumis: & duas horas spiritu alibus non vacas? Ad theatrū sepe adis, neque inde discedis, donec dimittaris: & in Ecclesiam ingressus, priusquā diuina mysteria peragantur, abis? Time eū, qui dixit: Qui contemnit rē, cōtemnetur ab ea. Ac regi quidē cū adstas, ne renidere quē

omnino audes, Omniū vero domino cū
adstiteris, nō stas pavidus tremensq; sed
rides, ipso sæpe irascēte? Non cogitas, qđ
hoc factō multo magis, quā peccatis
ipsis eū iritas? Neq; enim vsq; adeo pec
cantes, vt eos, qui post peccatū non con/
trahūtur, auersari solet deus. Quid agis,
ò homo, in Ecclesia stans, formas mulie-
rū curiose contemplaris: non perhorre/
scis, tanta contumelia templum dei affi/
ciens? Lupanar tibi esse videtur Ecclesia,
& foro ipso despicabilior? Nam in foro
quidē metuis & erubescis videri mulie/
rem curiose contēplari: In templo vero
dei, ipso tecū loquente, deq; his cōmināte
taliam audes, eo ipso tempore, quo audis,
hec facienda non esse, & non perhorre/
scis, neq; de statu mentis deijceris, offici/
nā iniquitatis cor & oculos tuos faciēs,
Prestaret huiusmodi oculos cæcos es/
se, quā ad hos vsus accōmodari. Cogita

prope quē astiteris, o homo, in sacro illo
& horrendo sacrificio, cū quibus deum
sis inuocaturus: Cum Cherubim, cū Se/
raphim, & cū alijs celestibus potestatib⁹.
Reputa, quosnā gregales & canendi so/
cios habeas. Sufficit hoc tibi ad attenti/
onem animi excitandā, cum perpende/
ris, te corpore circumseptū, & carni im/
plicatum, cum incorporeis potestatibus
cōmunem omnium dominū laudare dis/
gnatum esse. Ne igitur dissoluto animo
sacris, & laudibus illis dei arcanis cōmu/
nica, neu de vitę huius cōmodis per illud
tēpus cogita. Verū terrenis omnibus co/
gitatiōibus eiectis ex animo, & ad cōlū
totus erectus, perinde ac si prope ipsum
soliū glorię adstitisses, et cū seraphim vo/
lares, ita deo sanctā per omnia laudem
offer. Propter hoc enim honeste tēpore
diuini sacrificij stare iubemur, vt cogita/
tiōes humi repentes erigamus, vt lāguor

re, quē ex vitę huius negocijs cōtraximus
excusso, rectū corā deo animū nostrum
exuscitare possimus. Non enim de cor/
poris manibus atq; genubus dicit, Neq;
enim cū cursoribus aut pancratiaistis lo/
quitur, sed interiorū cogitationū vires
tentationibus prostratas, exuscitare his
verbis iubet. Diuine enim cōmuniōis tē/
pore, fratres, non soli homines horren/
dissimā illā vocē vociferātur, sed & an/
geli procumbunt domino, & archangeli
canunt. Habent enim tēpus opportunū
& occasionē sibi auxiliantē. Et quemad/
modū homines ramos olearū recisos re/
gibus protendunt, per stirpem illam mi/
sericordię & humanitatis ipsos admo/
nentes: Ita & Angeli tunc, pro ramis
olearum ipsum corpus domini proten/
dentes, dominum pro natura humana
precantur, tantū non dicentes: Pro his
rogamus, quos tu ipse prior ita dilexisti,

vt animam tuam dares: pro his suplices
preces profundimus, pro quibus ipse sã/
guinem profudisti: pro his precamur,
pro quibus corpus hoc hostiam obtuli/
sti. Nam quid Ecclesia dei potentius esse
potest? Ne mihi mœnia & arma dicas,
hec enim tempore veterascunt, Ecclesia
vero nunquam senescit: Mœnia barbari
destruunt, ecclesiam vero ne demones
quidem superant. Et quod non ad inanẽ
speciem hec dicantur, res ipse testantur:
Quam multi oppugnarunt ecclesiã: atq; *Ecce
non
204*
ipsi quidẽ oppugnatores perierunt, hec
vero supra cœlũ ascendit. Tanta magni/
tudine prædita est ecclesia: cum oppugna/
tur vincit: cum appetitur insidijs, superat:
cum afficitur contumelijs, splendidior
euadit. Vellem igitur scire, quibus rebus
operã impendant isti, qui cõmunione
negligũt, quiq; sacra hac mēsa sese absti/
nēt. Quin scio plane: Aut enim de absur

dis et ridiculis rebus colloquūť, aut vite
huius sollicitudinibus affixi sunt: Quorū
vtrorūq; studiū venia caret, extremāq;
meret animaduersionē. Ac de priore ne
verbis quidē opus est, neq; demonstratio/
ne. Quod autem neq; n, qui rem famili/
arem & intolerabilē necessitatē inde ori/
entē nobis pretendūt, veniā cōsequi pos/
sint, propterea quōd non pluris faciant
terrenis spiritalia, cuius manifestū est.
Quinam enim famulus, dic mihi, rei sue
domestice curā gerit vnquam, priusquā
herile ministerium expleuerit? Quomō
igit absurdū nō est, inter homines qui/
dem, vbi nudum & inane nomen domi/
natus est, tantum pudorem & obediens/
tiā dominis exhibere: eum vero, qui vere
non modo noster, sed & superarum pos/
testatū dominus est, ne eo quidem ipso,
quo conseruos nostros dignamur, cultu
dignari? Vtinam quidē fieri posset, vt

illorū animū oculis vestris ostenderem,
videretis sordescētē, squalentē, pfligatū
deiectū atq; diffidētē. Vtinā fieri posset,
vt corda eorū, qui communione sese ab-
stinent, aperiremus. Vtinā possetis vos
in conscientia ipsorum penetrare, tūc sa-
nē videretis, quā multis vulneribus re-
fertī sint, quā multas spinas habeant. Nā
quemadmodū terra, nisi agricolarū mā-
nibus colatur, horrescit & siluescit, sic &
animus, spirituali doctrina defectus, spi-
nas & tribulos producit. Nam si nos,
qui quotidie Apostolorū & prophetarū
auscultationi intendimus, & assiduas in-
cantatiōes de sacris scripturis desumptas
affectionibus nostris occinimus, vix ta-
men excandescētem animā cōtinemus,
vix iram frenamus, vix inuidiē tabē eni-
cimus, vix sedamus concupiscentiā, vix
impudentes feras coercemus, Quā spem
salutis habebunt illi, qui hac medicina nō

vtuntur, neque diuine doctrine auscul-
tant? Multi semel in anno mysteriorum
fiūt participes, alij bis, alij crebro. Quos
igitur de his probabimus? eos q semel?
an qui crebro? an qui rarius? neque qui se-
mel, neq; qui crebro, neque qui raro. Ve-
rum eos, qui cum pura conscientia, cum
puro corde, cum irreprehensibili vita.
Huiusmodi qui sunt, semper accedāt, qui
minus, ne semel quidem, Iudicium enim
sibi ipsi accipiunt atque damnationem.
Ut enim alimentum natura alendi vim
habens, si in eum, qui male concoquit, in-
cidat, omnia destruit atque corrumpit,
& morbi occasionem prebet, Ita sanè &
horrenda illa mysteria. Mensa spiritali
frueris, mensa Regia, & rursus luto te
inquinās? corpus vnguento vngis, & rur-
sus id graueolentia replet? Putas tibi suf-
ficere ad peccatorum vniuersi temporis
purgationem, si anno vertente commu-

nionis particeps fias, & rursus post
septimum diem ad priora te refers?
Age, dic mihi: Si cū à diuturno mor-
bo ad quadragesimum diem valuis-
ses, ad illas res, ex quibus morbum
contraxeras, te rursus referres, nō
ne & priorem laborem perderes?
Quod si mouentur naturalia, multo
magis spiritualia, vel vt exacte dicā,
ea quę selectionis & arbitrij nostri
sunt. Ac si quidem corpus oleat, ne
communibus quidem cibis vescitur.
Tanta vero graueolentia in animo
cum sit, mysteriorum particeps esse
audes. Dic mihi, quam veniam con-
sequēris? Ait enim diuinus Aposto-
lus: qui manducat & bibit indigne,
reus erit corporis et sanguinis domi-
ni: hoc est: eandem pœnam dabit,
quod supplicium luent ij, qui Chri-
stum cruci affixerunt. Quemadmo-

B

*Somnium
digne et in
digne facia*

dum enim illi iugulatores rei sunt, ita
& hi, qui indigne mysterijs partici-
pant. Sicut enim, siue quis disrum-
pat Regiam purpurā, siue luto con-
taminet, ex æquo contumelia Regē,
qui eam induit, affecerit. Ita hic quo-
q;, & qui peremerunt corpus domi-
ni, & qui impuro animo id accepe-
runt, iuxta ludibrio habent regium
indumentum. Ac Iudei quidem cru-
ce id disruperunt: qui vero impuro
animo accipit, contaminat. Quocir-
ca etsi diuersa peccata sunt, at par cō-
tumelia. Hoc multos pupugit, hoc
multos perturbauit, momordit au-
dientium conscientiam. Imò vero
non modo audientium, sed & meam
ipsius, qui dico prius, quàm vestram.
Communis enim hæc doctrina est.
Communia vulnera, eoq; cōmunia
medicamenta appono. Hoc diuine

benignitatis opus extitit, vt & qui di-
cit, & qui audit, iisdem legibus subia-
ceant, eadem natura participant, ex
equo obnoxius sit, quisquis transgre-
ditur. Quamobrem? vt moderate in-
crepet: vt pronus sit ad ignoscendum
peccantibus: vt in memoriam imbe-
cillitatem suam reuocans, ne intole-
rabiliter corripiat. Si quem igitur ex
ijs qui tecum congregantur, scortan-
tem & ad mysteria accedentem vi-
deris, dic eorum dispensatori: Iste my-
sterijs indignus est, prohibe profa-
num sacris. Nam si talis dignus non
est, qui iusta facta dei enarret, cogita,
quantopere augeſcet illi supplicium,
ſi ſacram etiam menſam attingat.
Neq; vero ipſi tantum, ſed tibi etiã
preſumbranti. Neque enim dixit: &
adulterium patrabas. Sed: cum adul-
teris portionem tuam ponebas. Pa-

*no occulte
da aliorum
fauore*

pe, quātum malum est occultare aliorum putredines. Socium enim te ait esse supplicij, quod illi delicto debetur, & merito: ille enim affectio nem dicere habet: Tametsi non mere tur veniam hic prætexus: Tu vero ne hoc quidem habes: Quam igitur ob causam, cum voluptate non fruaris, poenę te facis socium & participem? Sed quoniam acrius eos, qui indigne diuinis mysterijs participāt, pupugimus, opere precium est, vt ad vos quoq;, qui ministratis, sermonē deinceps conuertamus: vt multo cū studio dona hæc dispensetis. Neque enim parua vobis poena impendet: Nam si scientes aliquem esse improbum, hac mensa participare eum per mittatis, sanguis eius è manibus vestris exquiratur. Siue is dux exercitus, siue prefectus equitum sit, siue ille

ipse, qui diademate circumdatus est,
si indigne accedat, prohibe. Maiorem
dominum habes, caue ne irites domi-
num tuum, non expurgans corpus
huius. Ne gladiū alimenti loco por-
rigas. Verum, etiā si ille imbecillitate
adductus venit, vt accipiat, prohibe/
re ne metuas: metue dominum deū,
non hominem. Si hominem metu/
eris, & ab ipso irrideberis, & illum
iritabis. Sin deum: & hominibus ve/
nerandus eris, & deo charus. Quod
si ipse non audes, ad me adduc. Non
patiar eum hæc audere: anima defici/
ar prius, quàm sanguinem domini
preter dignitatem porrigam, & me/
um ipsius sanguinem profundam
prius, quàm sanguinem tam tremē/
dū, secus quàm conuenit porrigam.
Melius est enim multo vita priuari


propter deum, quàm propter vitam
ipso deo. Què decet gloria, imperiũ,
honor, & adoratio, nunc &
semper, & in secula seculorum. AMEN.



Cracouię ex edibus Hieronymi
Victoris. Anno domini.
M. D. XLI. Mense
Maio. die. vii.


Alpien Cabas tot habet rinas quot Syras.






XVI, 35









XVI WIEK

BROSZURY





